

h.23, B5. Bl. 23 (35)

Vc  
2944<sup>a</sup>

EXEQVIÆ  
ILLVSTRISSI=  
MO ILLVSTRISSIMI GE=  
neris Principi ac Domino, Domino AVGVSTO,  
Duci Saxoniæ, S. Romani Imperij Archimarescallo  
& Septemuiro, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni  
Misniæ, Burggrauio Magdeburgensi, ex mortali vi-  
ta ad cœlestem euocato: quo tempore, quibus locis,  
quaq; solennitate factæ sint: breuis & dilucida  
narratio. Priore editione emendatior  
& auctior.



D R E S D Æ  
In officina Matthæi Stœkelij anno Domini  
C I C I X C V I .



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



# AMPLISSIMIS


ATQVE ORNATISSIMIS

viris, doctrina, virtute, dignitate præstantibus, Do-  
mino Dauidi Peifero in Gosik, & Domino Ioanni Ie-  
nissio in Lomen, Illustrissimi Electoris Saxonici

Confiliarijs intimis: Dominis & Patro-

nis suis colendis & obser-

uandis S. D.



LEXANDER MACEDO,

cognomento Magnus, cum exerci-  
tum in expeditionem Persicam edu-  
ceret, Orphei simulacrum, apud  
Libethra, cypressinum multo ma-  
nasse sudore comperit. Eo portens-

to omnibus exterritis, & tristiorum in partem inter-  
pretantibus: Aristander vates regem bono esse ani-  
mo iussit, cum nihil ostendi aliud diceret, nisi eius  
res gestas fore tantas, ut multum sudoris atq; laboris  
decantantibus eas Poetis & Musicis essent præbi-  
turæ.

Simile quiddam mihi, Amplissimi viri, in luctuo-  
sissimo diuini Principis nostri obitum contigisse vides-  
tur. Postquam enim Celsitas ipsius fatali necessitatii  
concessit non solum cunctos per vniuersam Germa-  
niā bonos luctus acerbus incessit, sed argumentum  
pariter difficile obiectum toti literatorum nationi,  
excellentissimi Principis placidum ac felicem quidem  
ipsi, cæterū nobis ominosum & tristem exitum scri-

A 2 ptis,

ptis mandandi & illustrandi suis. Et verò iam aliquam multi studium in hoc genere atq; operam uulgò ostenderunt : quorum aliqui partes sibi vel datas vel sumtas præclarè executi sunt. Sudarunt in hac quasi palæstra Theologi, vngues arrosere Poetæ, æstuarunt Oratores, fatigati sunt Historici. Quid quæris : quasi Orphei statua sudasset omnibus , ita pro se quisq; ad parentandum optimo ac pientissimo Principi , pro virili , & expromta industria , tanquam symbolam conferre. O fortunatos Principes , quicunq; homines eruditos atq; optimarum artium studijs deditos fouent . absq; ihs esset , ihs dem tumulis , quibus corpora conteguntur, nomen etiam vnà sepultum obrueretur. Ite nunc , quos literarum pudet pigetq; , & illarum precium , quod auro contrà carum non est , iam ne asse quidem licemini . Literæ testes temporum , assertrices veritatis, altrices memoriæ, vitæ communis magistræ, nunciæ vetustatis : cuius ignarum esse, quid aliud est , quam semper esse puerum ?

Hominum igitur doctorum & gratorum vestigia, dum ego etiam, quanquam gradu multùm disspari ( sed ingenij culpa , non voluntatis ) persequor: vnius atq; alterius horæ, è continuis operis decisæ, laborem suscepi , & in funere Domini clementissimi cæremonias adhibitas, vt oculis Dresdæ usurpauimus , ita narratione Latina persecutus sum. Ad eam me scriptionem amor impulit , ac pietas erga Principem atq; altorem liberalissimum ac munificentissimum , vnicè dilectum , ad cuius quasi communis parentit



rentis exequias, putauī me quoq; pro meo modulo,  
εργάνιον συνεισφέρειν oportere. Alioqui nec à doctrina sa-  
tis, nec à natura ad scribendum, nec otio instructi su-  
mus, in ludo operoso constitutus, vt

fungar vice cotis, acutum  
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Hanc autem narratiunculam, Amplissimi atq; Or-  
natissimi viri vobis προσφωντέον existimauī, tum quòd  
sciam, gratam vobis esse recordationem Augusti, au-  
gustissimæ memoriae, Principis: tum quòd bonarum  
literarum et has colentium semper fuistis, mea quidem  
memoria, amatores & patroni.

Et ambos Reipub. nomine etiam atq; etiam rogo,  
vt animum pristinum erga humanitatis studia conser-  
uetis: quæ nisi vestra, vobisq; similiūm, autoritate atq;  
ope prouehantur, breui futurum est, vt audacia pro  
sapientia, etiam iure, liceat vti. Bene valete. Misnæ,  
in ludo illustri post XII. Idus Martias. Anno post  
natum Christum CIC CI XXCVI.

Vestræ Dignitatis  
obseruantiss.

Iohannes Ladislaus.

Lectori S.



Vm prima scripti huius editio adornaretur, forte ita incidit, vt typographus orationibus quibusdam Teutonicis imprimentis, quarum maturari absolutionem oporteret, occupatus, ad nostrum hoc leuidense animum aduertere minus posset.

Vnde euenit vt plurima sint inter exprimendum commissa errata, non quâ ab interpunctione tantum, cùm imperitè multa concisa membra sunt: sed quâ ipsa verba atq; sententiam. Cùm autem ea, quæ expōnenda suscepissem, emendata atq; consentanea exire, Piorum Manuum diuini principis, quibus hoc, quicquid est, grati reddidimus officiolum, interesse putas rem: dedi sedulò, quam debui, operam, vt editio altera, quæ & correctior & melior esset, institueretur.

Quare te humanissime lector amanter oro, ut prīoribus erratis venia benignè data, hinc illorum emendationem non grauare petas. Sanè si tibi aliquando operis vti typographicis, & earum cognoscere acumen licuerit: experieris, tam facile in re non intellecta errari quam facile pyrum vulpes comedest. Vale.  
Dresdæ in typographeo Stoekeliano XII. Aprilis,

EXEQVIAS  
ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
Domino AVGVSTO, Duci Saxoniæ, S.  
Romanil Imperij Archimarescallo & Septemuiro, &c.  
laudatissimæ memoriae: quo tempore, quibus  
locis, quaq; solennitate itum sit: com-  
pendiosa descriptio.

**I**usta Illustrissimo Duci Sa-  
xoniæ, S. Romani Imperij Archimas-  
rescallo ac Septemuiro, AVGV-  
STO, Domino quondam nostro cles-  
mentissimo, celebrandæ perpetuò  
memoriae, toti Germano nomini lu-  
ctuosa, Dresdæ primūm, citra sepulturam: deinde Fri-  
bergæ, ubi sepulturæ colophon accessit, tridui repeti-  
ta interuallo, soluta sunt: postquam intercesserant dies  
vnus et triginta, cùm ille temporalis vitæ spaciū emen-  
sus ad superos feliciter migrauit.

Dresdæ parentatum A. D. III. Idus Martij, Ro-  
mano veteri loquendi more: vel tertio decimo Mars-  
tij, vulgata numerandi consuetudine. Sed veteri, nec  
mutata Calendarij, vt vocant, ratione. Anno post na-  
tum in terris Saluatorem θεάνθρωπον CIC  
XXCVI. Sacrum illud exequiale festa quadam  
solennitate obitum fuit, huiusmodi designatione atq;  
apparatu.

Corpus exanime, diuini quondam animi domi-  
ciliū ex arce inter duplices vtrīque ciuium versus,  
vnū exteriorem, thoraces ænos cum hastis inuer-  
sis,

sis, alterum interius stantem, pallas nigras & fascias gerentem funerales, in templum oppidnum, quod à sacra cruce denominatur, ὁχιματι ὁκταζεύκτῳ, id est, vehiculo octiugo deportatum est, funere celebri ac magnifico, quale pro temporibus atq; tanta in mœstia, tantoq; Principe dignum duci potuit ac debuit.

Iabant ante omnes alios nouem viri partim nobiles, partim homines honorati, in quibus agnoscebantur virbis, satellitum, & vigiliarum praefecti, tripartito alijs post alios ingredientes, atrati, cæterorum ordinum & pompæ totius ductores.

Sequente è vestigio, qui pro modo corporis præferret grandiorem solito crucem, homine Polono, ministro aulico, probo & antiqui moris, Musico bono, et voce mirum quantum robusta longe lateq; notissimo. Is infra pallam nigram, etiam tuniculam propè talarem habet: cultu non tam lugubri, si crucem adimas, quam reuerendo spectabilis.

Huic succedunt pueri scholaftici, numero ducensi, lugubri item vestitu, bini deinceps, vt assolet, viam pergentes, et cantiones sepulcrales pressa ac flebili voce modulantes, quos iuxta utrobique comitantur paedagogi ac Magistri.

Cateruam scholafticam symphoniacorum chorus aulicorum continuè excipit, æquè lugubriter amicti, qui perinde combinati progressionem faciunt.

Et qui horum vestigijs instant, sacri ordinis viri triginta, pallis & ipsi funebribus induiti, ac vittas feras

les

les è pileolis ponè dependulas, more & modo cæteros  
rum funus Illustre deducentium, habentes : tantò  
magis tristes & conturbati, quanto iustiores mœrendi  
causas, quam cæteri, haberent.

Post Presbyteros primam prodeunt æneatores duo,  
quos puer grandis antecedit, habitu oppidò quam mis-  
seribili, qui tympana nigro coniecta panno baiulat  
scapulis: bacilos verò, quibus tympana pulsantur, ite-  
dem obiectos decussatim manibus senior gestat tym-  
panorum artifex.

Deinde his senum tubicinum, præter morem mœ-  
stus tacitusq; manipulus, terni progredientes sequun-  
tur, tubas manibus tenendo ociosè, ad brachia reclina-  
tas, & atris panniculis dependentibus vestitas, in qui-  
bus enses & corona rutacea, Septemuiratus & Duca-  
tus Saxonici affixa insignia visebantur.

Postea hominum equestris dignitatis & nobilium  
natio numerosa ingreditur, honoratissimis quibus-  
que primo loco constitutis, quos aulico nomine Ma-  
rescallos insigniunt, qui perinde ternis comitibus ceu  
articulatim iunctis, in hoc lamentabili agmine sese pro-  
mouent, amissi optimi Duci indicia haud obscura præ-  
se ferentes: ijs, inter duos medio, præsumte Electoris  
Saxonici Marescallo, munera insignia manibus ge-  
stante.

Tum sedecim vexilla longo tenore portantur à toti-  
dem eximiae & generosæ nobilitatis hominibus ferè

B

omni-

omnibus, qui Comitum & Baronum vocabulis indigitantur, funerali ut cæteri vestitu atq; cultu.

Vexilla, per quantum satis est, inter uallum, singula singuli equi prosequuntur, atris velaminibus operti, qui vexillorum imagines æreas, picturatas, in fronte & femine utroq; præferrent, & à binis equestris ordine præcipuæ existimationis viris, magistris militiæ, equitum præfectis, & horum similibus ducerentur.

Miro autem silentio cuncta se mouere (extra quam in primo & remoto ordine næniam querulè canentes) & verò etiam hinnientium sacula: ita omnia luctu & tristitia plena, & quasi consternata videri.

Vexilla eius formæ sunt, qua turmas equestres sub signis duci solere perhibent. Et quod primo loco fersur, ἀστυμον est, nullis imaginibus insignitum, coloris rusbei, quod propterea vexillum sanguineum more militari appellant. Cætera signata: in quorum prioribus duodecim, stemmata atq; imagines gentiliciæ cernuntur, suis discretæ coloribus, atq; pigmentis illustratæ: imagines inquam illustrium & vetustarum familiarum, quarum ius atq; titulus ad domum Saxoniam, iam olim, præterquā Hennebergensis, quæ recens, legitime deuoluta essent.

Posteriorum trium, uno Ducatus Saxonici, altero Electoratus, tertio, & quod pro libitina proximè gestatur, Electoris Saxonici insignia integra, hactenus quasi per partes singulatim ostensa, expressa monstrari,

Post

Post hæc, vñus quidam, inter vniuersos pedibus in-  
gredientes, eques ingreditur, ex eorum genere, quos  
Ioricatos Liius, aliij Græca voce cataphractos, & ca-  
taphractarios nominant, id est, circumquaç armis mu-  
nitos. Is panoplia Septemuirি Saxonici nigricante, au-  
ratisç veluti fasciolis porrecte æqualiterç intercur-  
rentibus distincta conspicuus, dextraç baculo Archis-  
marescalli gestamine nixus, eminens equo albo phale-  
rato, gressus pedetentim alterno crurum explicatu glo-  
merante, præeuntes assectatur. Vnus in tam lacryma-  
bili spectaculo, qui speciem aspectantibus illacrymabi-  
lem præberet.

Hinc reliqua pompa funebris gestamina deferun-  
tur, ensis, sigillum, pileus: non quibus Elector vti  
communiter consueuisset, sed quæ Electoriæ dignita-  
tis habentur γνωρισματα ιηγή σύμβολα, quibusç Imperij  
duntaxat nomine vti, si opusforet, soleret: sigilla-  
tim à proceribus, alio alium continuè sequentibus, ge-  
stata. Ensem vagina aurea vestitum Imperij Roma-  
ni Promarescallus humero summo impositum ita te-  
net, vt mucro deorsum vergat: sigillum Cancellarius  
Electorius: pileum eiusdem Stabuli magister, vtrum-  
que in puluillis serico nigro intectis, vnde laciniae  
de perderent, repositum, dextra modicūm porrecta  
ferebant.

Tandem Illustrissimi animi sacra exuuiæ, loculo  
stanneo aurato conditæ, media pompa, specie per-  
quam lacrymabili inuehūtur, super feretro curuli octo  
equis protracto, que omnia vestimentis feralibus in-  
strata, & ad commiserationem modo omni compos-

B 2 sita

sita essent. Loculi stragulo cerni impositus ensis, quo accingi Elector, dum fata Deusque sinebant, consueuit; cuius manubrium, & ora uaginæ, quæ mucronem ambit, ex auro rutilante fabricata splenderent. Feretrum ab utraq; parte duodeni: iumenta quaternum Barones, tum selecti equestri honore viri stipant, pariter amictu funereo miserandi. Equorum capita si aspexisses, adeò tristi habitu demissa: mutas bestias Domini sui casum persentiscere iurares.

Pone libitinam proximi incedunt Principes, praeter reliquum corpus, ora quoq; lugubriter velati. In primis contristatus apparere illustrissimus Elector Saxoniae Christianus, vt quem proximè attingat dolor, Electoris τὸ μακαρίτος filius de multis reliquis, dominus noster benignissimus (quēδ θεός κύδιος, τῷ λαθυντικῷ ætatēm sospitet superstitione, ad Ecclesiæ salutem) qui inter Iohannem Georgium Electorem Brandenburgicum, socerum: et Iohannem Casimirum Ducem Saxonie, affinem, ingrediebatur medius. Cæteri principes ac principum legati, quorum utroq; ordine praestabant complures, terni progredientes insequuntur: praeter eos, qui defuncti Electoris illustrem viduam, cæterasq; matronas principes per viam comitabantur. In quibus primas tenet Anhaltinus demortui Electoris socer, princeps laude bonitatis et clementiae celeber. Is quanquam ex amissione tanti generi, tamq; brevi sibi erexit; et dolore filiæ, vehementer afflictæ: et calamitate publica graue uulnus accepit: tamen, ut posset ait,

Spem uultu simulat, premit alto corde dolorem,  
et uira

et uirtute atq; alloquio suo viduæ tristissimæ perculsum animum sustentat. Venerant autem in funus, ut hæc quoq; attingamus, ad cohonestandas exequias, præter iam dictos Regulos, Illustrissimi Saxoniæ Duxes, Fridericus Vuilhelmus et Iohannes, fratres: Ioachimus Fridericus Marchio Brandenburgensis, Administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis: Vuolfgangus Dux Brunsuicensis, qui à Grubenhægio cognominatur: Ioachimi Ernesti principis Anhaltini duo filij, generosissimis ingenij adolescentes, Iohannes Georgius, & Christianus. Legatos miserunt, quos graues causæ interesse funerationi luctuosæ non sinebant. Primum Iohannes Casimirus Princeps magnanimus, Palatinus Rheni & Proseptemuir, gener Electoris τδ τν αγιοις: cum quo nupta est filia ex tribus superstitionibus maxima: Et Henricus Julius, Dux Brunsuicensis, Episcopus Halberstatensis, gener alter, cui nupsit filia natu posterior. Deinde Georgius Fridericus Marchio Brandenburgensis Dux Borussiæ: Lādgrauij Hassiæ, Vuilhelmus, Ludouicus et Georgius: Episcopi, Heripolensis, sed qui antè domum reuolarant, quam deductio fieret, Pabergensis, aliij, qui nostram fugiunt memoriā. Sed ad propositum reuertar.

Principum latera Stipatores qui claudunt funebri ipsi etiam amictu, & cuspidibus hastarum in humum uersis, quod eorum decus ac præsidium concidisset, ita iuxta Dominos luctuosè gradiuntur.

Vestigiaprinçipum legunt Consiliarij, Silentiarj, Medici, cæteriq; fide arctiore principi obstricti. Eorum medio immixti conspici e nobilibus & honorans

C dis,

dis, Canonicorum Misniensium, Martispyrgensium, &  
Numburgensium collegijs, Viri præcipui; in quibus  
vniuersis, more præeuntium Dominorum, ad cætera  
iustus signa, velamenta nigra faciei obtenta cerne-  
bantur. Terni illi quoq; cuncti funus prosequi.

Post eos, exiguo interuallo, ecce Heroinarum Nym-  
pharumq; illustre & candidum genus, tripertita, per  
modica spacia, serie, lugubri ritu & specie, lentoq;  
tractu sese infert. Ante ambulantibus aliquot nobili  
genere uiris, dignitate, uirtute & grauitate honestis,  
quos aulæ magistros uocant, toto corpore ipsi etiam  
operè lugentium in modum, atris vestibus cooperti.

Loco primo nouem eunt matronæ príncipes, spi-  
culatoribus pullatis, ad instar prægressorū Dominos-  
rū stipatæ, finebri quæq; obuoluta sindone, quæ à bis-  
nis, partim principibus partim Comitibus, uestitu prin-  
cipum cæterorum planè gemino, ducuntur. Inter eas,  
Domina Agnes Heduuigis, illustris vidua, ut loco &  
propinquitate prima erat: ita moerore præ cæteris  
affligi videri, & dolorem vi lacrymarum profusa tes-  
stari. Illa patre comitata, & ex altera parte Ioachimo  
Friderico, Marchione Brandenburg. Administrato-  
re Archie Magd. inducitur. Continuè sequitur Do-  
mina Sophia, Domino Christiano Illustrissimo E-  
lectori Saxonico, Domino nostro clementissimo:  
porrò hanc, Domina Anna longè mœstissima, Do-  
mino Iohanni Casimiro Illustrissimo Duci Saxonizæ,  
nuptæ: illa nurus, hac filia Septemuiri τὸ μακαρίτος, &  
tribus adhuc uiuentibus & florentibus natu minima.  
Ambæ uberrimum lacrymarū imbreu fundere uisæ,  
multaq;

multaq; alia naturalis affectus, & sinceræ sympathiæ edere signa. Vtramq; bini magnates atrati penitus, vt cæteras quoq; Heroidas, concomitari. Nec verò aliæ quæ sequuntur illustres Dominæ, mœsticiæ atq; fletus expertes esse. Præ reliquis autem Septemviri Brandenburgici, & principis Anhaltini coniuges ambæ graui ter ac manifestò mœrere; hæc mater illustris uiduæ, illa soror. Neq; Friderici Vuilhelmi Ducis Saxoniæ, & Joachimi Friderici Marchionis Brandenburgensis & Administratoris etc, uxores heroides & viragines siccis oculis conspici. Noli quærere: ita communis erat dolor cunctis, ut nemo non in tanta Nymphaeum lus gentium phalange

Θαλερὸν κατὰ δάκρυον Εἰσοι.

Adeò nihil est in rebus humanis muliere συμπαθέσεων, quæ in isto generoso & humanissimo affectu uel uiris sæpe non cedit, imò uincit etiam. Cuius rei certa exempla (ne abeamus longius) Christi Saluatoris crucifixi & tumulati suppeditat historia.

À matronis Summatibus proximæ sunt fæminæ nobiles, in principum gynæceis numeratæ, copia multæ, sed quodam interuallo proximæ.

Deniq; his non minori numero Nymphaeum nobis sium, sedibus aulæ uicinis gaudentium cœtus: et consiliariorum, tum Doctoratus gradu insignium, & Secretariorum, quos vocant, coniuges, tribus prægredientibus ductoribus equestri dignitate, succedunt, ternæ protelò longoq; ordine procedentes uniuersæ, & luctu graui omnes affectæ.

C 2 Fæmina-

Fæminarum τὸ γοιρὸν σίφΩ', aulicorum ministrorum  
frequens manus subsequitur, gradu & progressu pari.  
In quibus præcedere libellorum magistri, sequi the-  
saurarīj, quibus adiunctos cernere erat, quosdam ho-  
nore in literis summo ornatos, qui Doctorum honoris  
fica appellatione ueniunt. Hinc qui in Archiuis ac ta-  
bularījs, diplomatum ac reddituum perscriptionibus  
operas nauant. Post alij medioximi, infimi, suo quisq;  
loco & ordine, & numerum, & luctum augere.

Idem ordo & progressio est Magistratus urbici, &  
ciuium, magna frequentia, pérpetuaq; serie aulicos  
rum triste agmen continuantium.

Dum procedit funus, eleemosyna in omnes pau-  
peres largissimè erogatur. In Scholaisticos data singu-  
la tetradrachma siue stateres argentei, qui pondere  
& precio semunciales sunt; in cæteros didrachma. In  
utroque numero, tempus obitus Electoris, & curriculi  
in his terris peracti, latinis literis & uerbis impressum,  
visitur.

Tandem aliquando, duabus integris propè horis  
inter procedendum exemptis, secunda pomeridiana in  
templum peruentum est; in quo sedilia, pulpita, ara,  
pars item templi superior, pergularum instar proiecta,  
integumentis atratis circumcirca conuestita esse, &  
flebilem Mortualium effigiem vndiq; repræsentari.  
Tum uero concionator aulicus, orationem epidictici  
generis exorsus, ad extremum usq;, quod ingressus  
erat, auditorum summo silentio exsecutus est.

Cæmonijs peractis, & Dominis discessis, exuia  
beati

beati Electoris, inclusæ sandapila stannæa inaurata,  
et commissuris operculi ferruminatis obiecta, cum cu-  
ruli feretro, & pompa ferculis, in templo, apposita cu-  
stodia, per nocte relicta. Sanè Princeps potens & ma-  
gnificus, magnifice appareatque funeratus. Fama est IIS  
uicies amplius, in nigrum pannum duntaxat expensa  
esse. Pallæ enim lugubres, & quicquid uestium ad ex-  
teriora luctus indicia pertinet, Electoriæ ditionis ho-  
minibus uniuersis: dominis seruis, summis infimis, no-  
bilibus plebeis, aulicis non aulicis, qui huic luctuoso  
actui interfuerunt, sumtibus Electorij tributum fu-  
it. Præterea aliquot templa, & arcis amplissimæ con-  
clavia omnia indidem vestita sunt.

Postero die mane, eodem apparatu extra portâ fu-  
nus ductū. Inde consensis esedis Fribergā (qui locus  
centum viginti distat stadia) tam principes quam ho-  
rum comitatus contenderunt. Eò funus apportatum  
circa sextam vespertinam, Senatus, ciuium, homi-  
num metallicorum, ministrorum Ecclesiæ, & Schos-  
lasticorum, frequenti & luctuosa obuiam itione ex-  
ceptum, itaque in urbem deductum est. Postridie, id est,  
Idibus Martijs, tristissimo quondam ciuibus Romanis,  
& toti imperio, ob necem summi herois ac Principis,  
funesto die (quod Deus omen obruat) cadauer ceu in-  
stauratis funeralibus Dresdensibus, repetita item lis-  
beralissima stipis erogatione, in aliquot pauperum  
millia, ex arce in templum cathedrale, diuæ Virgini  
dedicatum, ample solenniterque delatum est, &  
ibidem, rite perfectis omnibus, monumento condi-  
tum, iuxta parentum, coniugis prioris, natorum octo,

C. 3 filiarum

Aliarum trium, Mauritiū fratrīs, & Sidoniæ sororis  
reliquias: cūm vixisset A. LIX. M. VI. D. XI.  
H. XII-. Requiescit in spe resurrectionis ad vi-  
tam & gloriam sempiternam.

INDICATIO ANNI, MEN-  
SIS, Diei emortualis, & eius  
dem tempus.

V Ndena Februi, se merserat, æthere Titan,  
Hei, perit Augustus gloria Teutoniæ.

INDICATIO ANNI, MEN-  
SIS & Diei sepulturæ.

V T iubar exeruit Martis quindenus ab ortu,  
Augusti exuuias busta paterna tegunt.

INDICATIO ANNI, MEN-  
SIS, diei, horæ emortualis, Dominæ  
Annæ, Electoris beati nu-  
ptæ prioris.

*parvula negligens  
typographij omisit.* LV X prima Octobris celer ut ruit axe, ubi  
vespri est  
Octaua, Augusti Principis vxor obit.

MMæ Pr. incomparabilis, sapientis, pacifici, pñ,  
felicis, vereq; Augusti: debitæ pietatis ergo, cum  
lacrymis parentando perscripsit, subditus & alumnus  
Iohannes Ladislaus, ludi illustris ad Albim Rector.  
Lectio

## Lectori S.

**V**erpatum in priore inscriptione loquens  
di genus, ire Exequias, quanque minus no-  
tum in uulgas, qui iure Quiritiū priuant,  
sunt frustra. Ciuitati Romanae vindicant  
autores locupletes, Terentius Phormio,  
ne; Ouidius lib. 2. Am. eleg. 6. Exequias ferte frequen-  
ter aues. Vbi verbum, Ferte, in mendo cubat. Verum  
est enim, Ite; Silius Italicus lib. 15. Punicor. Vos ite su-  
perbae Exequias animae: Vindicatur & veteri formis  
la indicti uorum funerum, quae sic habet; L. Titius vi-  
xit. L. Titio exequias ire cui commodum est, iam tem-  
pus est. ollus ecferetur. eodem respexit Terentium,  
quis est, qui non uideat? Tametsi scholastae alij aliter  
interpretantur, alij sicco pede transgrediuntur. Narras-  
uit mihi Ludouicus Carrio Belga, iurisconsultus, ho-  
mo politiore literatura non tinctus leuiter, sed plane  
imbutus.

Existimo autem ire alicui exequias, dici Ἀλιτρῶς,  
ut integrum sit ire factum, siue solutum, siue redditū,  
siue ductum exequias. Priscis enim latinis ea dicendi  
forma, sanè quam familiaris erat. Ut, ire habitum ho-  
norem alicui, ire datum operam amico, ire opitula-  
tum, ire depresso. Pro habere honorem, dare operā,  
opitulari, deprimere. Sic fortassean ire solutum alicui  
exequias dicebant, pro exequi aliquem. Postea in re  
oppidō quam usitata, nec minus solenni, concisio, ut  
assoleat, locutionis quæsita. Exequiae igitur ab exequi,  
id est, extra sequi vel prosequi. Mortui propriè efferriri  
dicti: eos qui prosequabantur, dicebantur exequi,

Der

Der Leichen das geleit hinaus geben. Plautus Epidico.  
At pol ego te credidi vxorem , quam tu extulisti, pus  
dore execui. Nos in hac editione Ciceroniana phrasē  
vsi sumus : consulentes imbecillitatē eorum, qui Te  
tentianam illam concoquere non potuerunt. Vale,  
In typographeo, Dresdæ.

KC 2944 a. Gm



4c

X220/958



### Farbkarte #13

